


Gd. 62.



SCHEDIASMA NONUM
DE VITA
ADOLPHI NASSOVII
REGIS ROMANORVM

A TENTATA MAJESTATIS IMMINVTIONE
VSQVE AD MORTEM.



QVO
AD LVSTRATIONEM
GYMNASII IDSTEINENSIS

AVTYMNALEM

D. VI. SEPTEMBR. A. MDCCLXXIX.

INSTITVENDAM,

FAVTORES ATQVE AMICOS
REI SCHOLASTICÆ

OMNI OBSERVANTIA INVITAT

JO. PETR. WAGNER,
PROFESSOR ET RECTOR GYMNASII.

WISBADII,
IMPRIMEBAT IO. SCHIRMER, AVL. ET REGIM. TYPOGRAPHVS.

SCHEDIAHMA NOMINUM

DE VITA

ADOLPHI NASSOVII
REGIS ROMANORVM

A TENTATA MAIESTATIS DIMINVTIONE
VSGVE AD MORTEM

1740

AD INSTITVTIONEM
GYMNASII IDSTEINENSIS

APPELLAVIT

ET DE SENECTA A. NASSOVII

INSTITVTORVM

FAVTORES ET AMICOS
REI SCHOLASTICAE

OMNI GENTIVM ET NATIONVM

IO. PETR. WAGNER

PROFESSOR ET DIRECTOR GYMNASII

WISBADA

LIBRARIATVS IO. SCHNEIDER, AVVS AT REGIVM THEOPHILIVS





A. MCCXCVIII.



Ingens illa cupiditas, quæ animum inimicorum *Adolphi* simulabat, Regem exauctorandi, *Moguntie* destinata exsequi pergit.

Vix *Pragæ* conjuratio contra *Adolphum* erat facta, cum nonnulli *Principes Electores* curiam festo *Philippi & Jacobi* *Francofurti* habendam indicerent: ad quam *Adolphus & Albertus* Dux *Austriæ* convocati sunt.

Dux quidem, etsi ab hac curia non abhorreret, tamen iter faciens ad *Rhenum*, cum *Adolphi* exercitus illi obviam veniret, versus *Waldshut* declinare cogebatur: quibus ambagibus impulsus petiit, ut illam curiam in alium diem differrent. In qua causa *Principes Electores* non habebat adversos, curiam ex voluntate *Alberti* tribus vicibus transferentes. (a)

Neque tamen *Adolphus*, cognitis inimicorum consiliis, hanc invitationem exceptit adsensu, sed isti curiæ intercessit. (b)

A a 2

Qui

(a) *Chron. Colmar.* p. alt. p. 57. Post hæc significavit Dux *Austriæ* *Principibus Electoribus*, qui colloquium condixerunt festo *Philippi & Jacobi* prope *Frankenfurt*, quod ad id propter impetum *Regis Romanorum* non possit commode pervenire, quapropter rogavit, ut hoc in alterum diem transferrent. In hoc subito confenserunt, quia & tribus vicibus transtulerunt.

(b) *Chron. Colmar.* l. c.

Qui vero litterarum *Adolphi* incuriosi, aliud colloquendi tempus, Iocumque *Alberto* commodiorem fumentes d. XXIII. Jun. *Moguntia* in Colloquium venerunt. Aderant *Archiepiscopus Moguntinus*, *Dux Saxonie*, *Marchio Brandenburgicus*, *Regis Bohemie*, & *Ludovici Ducis Bavarie* legati: at *Comes Palatinus*, *Archiepiscopus Trevirensis* & *Coloniensis*, partibus *Adolphi* addicti, huic conventui non interfuerunt. (c)

Ut vero speciem juris praeferrent flagitio, quod diu volutaverant, rem ita constituebant, ut *Dux Saxonie* accusatoris, *Archiepiscopus Moguntinus* iudicis caperet personam. Quam ob causam idem *Moguntinus Adolphum* ad causam dicendam super variis criminibus *Moguntiam* in iudicium vocavit. Quum vero Rex hujusmodi iudicium illegitimum perhorresceret, ille quasi confessus, contumaciae reus temere existimatus est. Atque ut eo majorem speciem sanctitatis sceleri suo praeponderent, campanis compulsatis, populo convocato, quae fecerant & quae facere conabantur, in ecclesia retulerunt. (d)

Arguebant, illum consilia sapientum sprevisse, juvenum consiliis obtemperasse, divitias per se non habuisse, nec amicos, Ecclesias vastasse, virgines & vestales stuprasset, contra dignitatem suam stipendia belli ab inferiori accepisse, promissum auxilium Regi Angliae non praestitisse, rempublicam non auxisse, sed magis dissipasse, perjurii esse reum, quod tribus vicibus vocatus, in iudicium non venit, fidem in litteris inprimis Regi Bohemiae datam, violasse, donis corruptum jus dixisse, pacem publicam non tutum esse. Quae crimina tanti existimabantur, ut *Archiepiscopus Moguntinus Adolphum* per sententiam justam & dignam, ut vocant, execraret, condemnaret & a regiminis dignitate absolveret. (e)

Hæc

(c) *Ottokar Zornec*. *Oesterreichischer Reim-Chronik*. c. 673. *Königshoven*, *Elbsächsische Chronik*. c. 2. §. 186. p. 121. Igitur nobis minus probatur *Lehmanni* sententia in *Chron. Spirensi* p. 572. qui *Archiepiscopum Coloniensem Wicholdum* inter inimicos *Adolphi* refert, cum nullus scriptorum coævorum hujus sententiae meminit. Nec verosimile est, hunc virum, qui ex parte fortunam suam debebat *Adolpho* (*Schediasma* VII. p. 126.) tam subito mentem suam mutasse. Neque *Trithemius* fide est dignus, qui in *Chron. Sponheimensi* perhibet, *Archiepiscopum Trevirensis* paulo ante prælium Gellheimense ab illo defecisse. vid. *Brover* annal. *Trevir.* L. 16. p. 174. seq. Multo infirmior est eorum opinio, qui putant, post multa consilia & varios tractatus omnes Electores in exactionem *Adolphi* consentisse, quemadmodum iudicat *Trithemius* *Chron. Hirs.* P. II. p. 69.

(d) *Ottokar Zornec* c. 673.

Chron. Colmar. p. 58.

(e) *Ottokar Zornec* c. 674. *Chron. Colmar.* p. 58.

Vi.

Hæc igitur sunt crimina, quæ a scriptoribus cœvis inter causas ex-
 auctorationis Adolphi referuntur. Minoris momenti sunt illa, a scripto-
 ribus recentioribus in medium prolata. Ajunt, Adolphum socordem, negli-
 gentem, perjurum fuisse, quod a Francis occidentalibus intercepta non
 repetisset, (f) nimis cupidum pecunie in reposcendis vectigalibus fuis-
 se,

A a 3

Vigilia nativitatis Joannis Baptistæ, cycli Lunaris VII. tres Electores Re-
 gis Romanorum, Moguntinus, Brandenburgensis, & Saxo, Moguntia
 convenerunt, campanas compulsaverunt, populum convocaverunt, qua-
 dam, quæ fecerunt, quædam facienda fideliter retulerunt. Adscen-
 derunt igitur in Ecclesiam, facies suas vertentes ad altare, manus suas
 elevaverunt, per Deum viventem juraverunt: quod cum ante sex an-
 nos regnum rege caruerit Romanorum, nos Electores tres, ex parte no-
 stra & ex parte reliquorum Electorum, qui in nos eligendi vota sua trans-
 tulerunt, jure ac canonice Adolphum de Nassowe, tunc non cognoscentes
 meliorem, in regem eligimus Romanorum. Post electionem suam Adolphus
 Rex sapienter se tenuit, Electoribus, atque prudentibus acquievit. Post
 breve tempus sapientum consilia sprevit, juvenum consiliis acquievit &
 regenda minime terminavit. Divitias per se non habuit nec amicos, quæ
 eum vellent fideliter juvare. Electores videntes hos defectus regis & plus
 quam viginti alios Papæ significaverunt, rogantes, quatenus ipsum nobis
 dare auctoritatem absolvendi, & alium confirmandi vellet. (Id obtinuerunt,
 ut a pluribus dicebatur; nuncii vero Adolphi Regis dixerunt, quod
 his Papa simpliciter contradixerit) insufficientem invenientes, absolvimus
 eum a regiminis dignitate. *Siffridus Presbyter* p. 701. In eadem solemnitate,
 (qua Wenceslaus II. Pragæ coronatus fuit) Principes Electores una cum
 Archiepiscopo Moguntino, Rege Bohemiæ decreverunt, destituere Regem
 Romanorum, Adolphum, plures articulos contra ipsum producentes; pri-
 mus fuit: quia Ecclesias vastasset; secundus: quod virgines stuprasset; tertius:
 quia accepisset stipendia belli ab inferiori se, scilicet Rege Angliæ, quod Au-
 gusto non decet; quartus: quia Rempublicam non auxisset, sed magis dis-
 sipasset & ab hoc Augusto de cætero. . . . vocari non deberet. His, aliis-
 que de causis, eodem anno, eidem Adolpho imperium abjudicantes &c.

Hist. Austr. Ad annum 1298. Archiepiscopus Moguntinensis Regem Adolphum
 per sententiam justam & condignam, Moguntia factam, execrat & con-
 demnat. Apud *continuatorem Martini Poloni*, p. 1431. Archiepiscopus Mogun-
 tinus coram Adolpho & Alberto fertur dixisse: cum & communicatum suæ-
 que fidei violatorem & perjurum esse, pro eo maxime, quod magna quan-
 titate pecuniæ a Rege Anglorum recepta, eidem sub juramento promiserat,
 magnum præstare subsidium contra regem Francorum, quod postea penitus
 attendere non curavit.

(f) *Avent. anal.* Bojor. p. 698. Moguntinus Pontifex, Saxoniz atque Branden-
 burgii Præsides, legati Regis Bojemiz, regulum Saxonum arbitrum hono-
 rarium, (quippe Rudolphus Præfectus pratorio Rheni, Rectorque Bajariz,
 cujus munus est, veluti de querimoniis adversus Cæsarem delatis cognoscere,
 jusque dicere, sententiam pronunciare, venire recusat,) capiunt, tribu-
 nali

se, (g) partem pecuniae Anglicae, inter Principes Germaniae, ut debuerit, non divisisse, (h) fidem litteris & sigillis roboratam violasse, (i) falsas monetas cudisse, (k) emtionem Thuringiae & Misniae fuisse injustam, & legitimis heredibus hujus terrae iniquum bellum intulisse. (l)

Equidem scio, jamdiu ortam esse quaestionem an ullo casu Rex potestate legitime accepta a civibus suis exui queat? & si possit, quas ob causas? Hac de re, magna animorum contentione in utramque partem ex longo tempore certatum est, quibusdam nimium juris populo in reges suos tribuentibus, aliis plus justo imperantium in subditos libidini litantibus. (m)

Sunt, qui neque hanc causam ex lege quadam Imperiali scripta, neque ex alia consuetudine, sed ex lege Naturae dijudicandam esse, existimant, dicentes, Regi Germanico omnem potestatem adimi posse, si hujusmodi Rex, ut *Wenceslaus & Rudolphus II.* officium suum ita negligeret, ut omnem Imperii curam penitus abjiceret, vel maximum studium ad perniciem Imperii conferret, adeoque civium suorum obsequio se redderet indignum. Attamen hoc casu omnium Principum Electorum & ordinum Imperii consensu opus esse, recte judicant. (n)

At in causa *Adolphi non omnes, sed pauci Principes Electores* consentiebant. Atque horum judicium minus erat legitimum, quia *Rudolphus Comes Palatinus* illi non interfuit, cujus munus in hoc tempore erat, de querimoniis adversus Regem delatis cognoscere & jus dicere. (*)

Ne-

nali imponunt *Adolphum homicidii, stupri in virginem, socordia, negligentia, perjuria, quod a Francis occidentalibus intercepta non repeteret*, accusant. Deinde Senatus Consulto eum in ordinem redigunt, a fastigio deturbant, rempublicam orbam capite esse decernunt. Postremo ne imperium sine capite, sicut corpus sine anima contabescat, Albertum suis suffragiis rebus imponunt, Caesarem designant, nuncupant nonis Kalendis Juliis declarant.

(g) *Burry Erläuterung über das teutsche Lehnrecht* p. 501. *Frid. Abrah. Hopfgarten* in dissert. de jure vestigialium p. 18. §. 3. *Dart de pace publica.*

(h) *Murius* L. XX. p. 201. Abrogationis causa fuit, quod a Rege Anglia acceperat centum millia marcarum argenti, ut auxilium ferret illi, contra Gallos, hujus summae partem debuisset in conferendum exercitum impendere, partem etiam inter Principes Germaniae dividere. Sed sibi fere totam fervaverat, nihil principibus dederat.

(i) *Caspianus* de Caesaribus l. c.

(k) *Thom. Ebendorfer ab Hasselbach Chron. Austr.* apud *Pez.* p. 760.

(l) *Säberlin allgemeine Weltgeschichte* N. Hist. B. II. p. 678.

(m) *Scherzcius* disput. de depositione *Adolphi* p. m. 48. 70.

(n) de *Ludovig* de aur. Bull. T. I. p. 69. 207.

(*) *Wedekind* de judicio Comitis Palatini in Caesarem, in *Hist. & Comment. Aca-*
dem.

Neque legimus, si forte *Adolphus* quid indignum commiserit, vel aliquando regulas prudentiæ impeerit, illum supplicationibus, obtestationibus Principum officii sui esse admonitum, sed ubique armis cum illo actum est. Mitioribus remediis omissis, illud statim, quod in extrema tantum necessitate licitum est, arripuerunt. (**)

Cur *Gerhardus Moguntinus Adolpho* fuerit infestus, satis superque constat. Et cum Rex Bohemiæ *Wenceslaus Futham, Albertus Dux Saxonie Agnetem, Otto Marchio Brandenburgicus Helwigam* filias *Rudolphi I.* & sorores Germanas *Alberti Austriaci* in matrimonio haberent, hæc sanguinis conjunctio ad illud facinus perpetrandum multum valebat.

Ipsa vero crimina, quæ a scriptoribus coævis & recentioribus, tanquam causæ abrogationis *Adolphi* recensentur, partim ficta, certe non tanti sunt, ut ille imperio indignus habeatur.

Quando igitur *Adolphus Sapientum consilia sprevisse dicitur*, in hac causâ imprimis *Gerhardum Moguntinum* respiciunt. Hujus consilia Rex aliquamdiu secutus erat, & si illius consilia semper paruisset, certe ab isto *Adolphus* integer vitæ scelerisque purus existimatus fuisset. Posteaquam vero ille sui judicii esse cœpit, & multa pro æquitate animi faciebat, quæ *Moguntino* displicebant, eique adferebant incommoda, variasque res graviores cum præfectis rei militaris qui juniores nominantur, communicavit; Rex omni infamia adsperebatur. (o)

Neque lex erat data, qua fuerit adstrictus, consilium totius Imperii, nisi in rebus ad salutem totius Imperii spectantibus petere. Neque desunt exempla, *Adolphum* in multis comitiis, cum causâ publica ageretur, *consensum Principum Electorum* poposcisse. (*)

Nihil vero ineptius est, quam quod Electores inter causas ademptæ majestatis referunt, quod ille nec divitias per se, nec amicos habuerit. An illo

dem. elector. Theodoro Palatinæ Vol. IV. Lehmannus L. VII. c. III. p. 625. Geschichte des Römischen Königs Adolphs nach denen Urkunden und gleichzeitigen Geschichtschreibern. Frankfurt 1779. p. 82.

(**) Scherzius de depositione Adolphi p. m. 65.

(o) *Trithemius* sententiam Electorum ita interpretatur: Quartam assumsere causam, quod Principes Regni per superbiam suam contemneret, nobiles sperneret, Clericum despiceret, omnia regni negotia & maxime ardua non juxta consilia Principum, sed secundum proprii capitis judicium omnia disponeret, contemtoque Principum consilio vilium consultationes hominum sequeretur. Idem sentit auctor *Magni Chronici Belgici* ad a. 1292. p. 271. Cum vero negligentius se ad Principes, qui cum in culmen tanti honoris evexerant, gereret, consilia eorum postponens, & militaris ordinis homines eis præponens, in odium eorum incurrit. Vnde *Gerhardus Moguntinus* & cæteri

illo tempore, quo ipsum tanquam optimum regem eligebant, erant ignari, provincias ejus hereditarias angustiis spatiis concludi? Annon inter eligendum Regem Romanorum Electoribus aliorum potentia erat formidolosa? (p) Et si deerant *Adolpho amici*, cur non potius suo, eoque constanti amore illum amplexi sunt? Commemorando vastationes ecclesiarum & supra, id culpæ dant *Adolpho*, quod invito Rege, milites ejus in *Thuringia* commiserunt. Ubi est belli Dux, qui omnem immoderatam militum licentiam compescere possit? Illo sæpius absente, varia accidisse videntur, quæ minus illi probata sunt. Fac vero, *Adolphum* indulgisse licentiæ militum suorum in *Thuringia*, an hanc ob causam majestatem ejus imminuendam putamus? Quanti *Ecclesias & Monasteria* fecerit *Adolphus*, privilegia in *Thuringia* & aliis locis concessa, argumento sunt. (q)

Quam multa injusta facinora exercitus *Alberti Austriaci* patravit, cum peteret *Alsatiam*! (r) Quid dicam de militibus *Alberti*, a quibus, cum post obitum *Adolphi* invaderent *Misniam*, *Ecclesiæ* omnia sæva passæ sunt! (s) Neque tamen legimus, quenquam *Alberto* hanc ob causam regnum eripere conatum esse.

Pari modo non est causa, cur *Nassovium* propter *fædus Anglicum* tantopere reprehendant. Adde, inquit *Gundlingius*, *Nassovium cum Eduardo in fædere stetit, promississe fortem concivium suorum manum, poposcisse pecuniam, ut legeret, accepisse nummos ut facilius cogeret, exegisse sumtus, ut diutius stare in arena liceret. An vero id adeo iniquum, adeo ab omni decore alienum, tam contumeliosum, tam putidum, ac turpe, ut Rex esse nequeat, qui ex pacto, atque fædere expensas sibi deposcit, nec gratuita vult defungi opera.* (t)

At

teri nobiles superiorum partium indignatione commoti, illustrem Ducem *Austriæ*, nomine *Albertum*, filium quondam Regis *Rudolphi* evocarunt, ut regnum obtineret.

(*) *Oefelo script. rer. Boic. T. II. p. 117. Origines Guelfica T. III. p. 77. Esfor. Orig. jur. publ. Hass. L. III. c. 17. §. 66. 67. Geschichte des Königl. Reichs Adolphs p. 83.*

(p) *Schediasma I. p. 13.*

(q) *Schediasma IV. p. 86. seq. Schediasma V. p. 96. seq.*

(r) *Arventini Annales p. 697.*

(s) *Paulus Lang. Chron. Citizensi p. 1197. Exercitus relictus in terra Misnensi, ut orientali multa mala perpetrabant, ut nec ecclesiis, neque sacerdotibus nec religiosis parcerent. Quin imo, (quod horrendum est audire) sacerdotibus divina celebrantibus calices de manu, altaria spoliabant &c.*

(t) *Gundling I. c. p. m. 17. Schediasma III. p. 70.*

At Rex *Adolphus* auxilium Regi *Eduardo* promissum non præstitit. Sufficit autem, ipsum regem Anglicum in culpa esse, qui admonitionibus Pontificis impulsus in diem distulerit bellum. Sufficit, *Eduardum* foedere *Adolphi* fuisse contentum, & in amicitia illius dum viveret *Adolphus* permanisse. (u) Certe hæc non erat res, quam Principes Electores in iudicium suum deducerent.

Porro criminantur, *Adolphum* rempublicam non auxisse, sed magis dissipasse. At auxit *Thuringiam* non pro domo sua, sed pro imperio emendo, ut sæpius supra diximus. Præterea aliis rebus rempublicam augere studuit. A. 1297. vel maxime mens illius in eo versabatur, ut Gallorum Regem bello perlecturus, Provincias Imperio ereptas, vi armorum restitueret. Quis vero illius consiliis magis obstitit, quam interni hostes, contra illum conspirationem detestabilem ineuntes? (x)

Et quis evincere possit, illum rempublicam dissipasse, cum non solum in *Germania*, sed etiam in *Italia* jura Imperii tueri consueverit. (y)

Multi quidem Imperii bona, necessitate coactus, oppignorabat *Adolphus*, sed sæpius Principum Electorum consensu, neque sine sumtibus suis restituendi, si illi diutius vivere contigisset, neque sine exemplo antecessorum suorum. (z)

Et quis æquo animo audire aut ferre potest ineptissimam culpationem perjurii, Regem vocatum iudicio constituto a quibusdam subditis malevolis comparere noluisse reum? Namque Noster non iurejurando confirmaverat, se in iudicium a conjuratis institutum, esse venturum.

Omitto fidem *Adolphi*, Regi *Bohemiæ* inprimis datam, quam dicunt esse violatam, cum hoc crimen a legatis *Bohemicis*, quorum narratio in hac causa maxime suspecta est, temere prolatum esse videatur.

Pari modo doceri nequit, illum donis corruptum jus dixisse.

Quid vero facilius infringi potest, quam ista calumnia quod pacem publicam non servaverit?

Nonne confirmabat sub initiis sui regiminis a *Rudolpho I.* constitutam pacem in Comitibus *Colonensibus*? (a) Comitibus a. 1293. *Eslingæ* celebrata, quibus omnes *Sueviæ* proceres, præter *Eberhardum* Comitem *Wurtembergicum*, *Adolpho* regiam dignitatem invidentem, interfuerunt, indicio sunt, quan-

(u) Schediasma V. p. 100. seq. Schediasma VI. p. 127. seq. Sched. VII. p. 137. seq. 143. seq. Schediasma VIII. p. 157. seq.

(x) Schediasma VII. p. 138.

(y) Schediasma V. p. 98.

(z) Geschichte des Römischen Königs Adolphs p. 84. ex fontibus allegatis.

(a) Schediasma II. p. 33.

quantæ curæ illi pax publica fuerit. (b) Atque in eodem anno in *curia Norimbergensi* constitutionem de insulis in Rheno natis & diversis aliis capitibus publicavit. (c)

Idem qui *Ducem Brabantie* a finibus Mosellæ usque ad mare pacis iudicem constituerat, palam profitetur, se pacis leges optime observari velle. (d)

Quodsi vero quidam *regii procuratores* muneri suo minus fideliter præfuerint, *Adolphus* ob intervalla locorum, huic malo non tam facile mederi potuit, neque hanc ob causam majestate regia indignus censendus est. Atqui *dedit*, inquit *Gundling*, non ut essent *injusti & crudeles*, sed ut *Cæsaris jura tuerentur*. Quis vitia *Ministerorum* imputavit unquam *Dominiis*? Deinde quid egerunt tandem *Provinciae illius præfides*? (in Rheni partibus) *Vexarunt Lichtenbergicum, Episcopum Argentinensem*, vexarunt, inquam illum non injuste, qui partes *Alberti Austrii* continuo sectabatur, turbas dabat, novis rebus nunquam non invigilans: Eadem *Ochsensteinium, Rappolsteinium, Bipontinum, Leiningensem Comites* fata merito involverunt, cum non essent dictis regis obediens, sed ab *Alberto Cæsaris* internecino hoste instigati, perciti, irritati non nisi seditiosa consilia meditarentur. Miserum sane Regem, cui impune insultare possent modicæ potentie Comites, & acta ipsius reddere irrita, & laceßere præfides, qui *Imperatorie Majestatis nomine* ordinant, agunt & disponunt omnia. (**)

Ita infirma sunt argumenta, quibus inimici Regi *Adolpho*, ex testimonio *scriptorum coævorum* ad illius condemnationem usi sunt. Quanto minoris momenti existimentur crimina, a *scriptoribus recentioribus* relata?

Illud certe mirum est, quod *Adolpho* crimen *scordie, negligentie* affigant, cum tota illius vita multi laboris atque industriæ fuerit plena. (e)

Si vero Regi crimen *perjurii* movent, quod a *Francis occidentalibus intercepta non repetierit*, quæret quispiam, cur tantopere *Germania Principes Regem nostrum* impedierint, quominus terras interceptas recuperare posset? (f)

At

(b) Sched. II. p. 38.

(c) Sched. II. p. 39.

(d) Sched. II. p. 35.

(**) Gundling l. c. p. 13. seqq.

(e) Schediasma II. p. 32.

(f) Quæ vis illis verbis subjecta sit, uberius explicare videtur *Trithemius Chron. Hirsaug. P. II. p. 69*. Primam depositionis causam Principes eo in tempore assignabant, quod Imperio esset non solum inutilis, sed etiam infidelis, propterea quod Imperii coronam sperneret, & Italiam, Lombardiam, & alias nationes

At si hæc justa causa dignitatem regiam adimendi, existimanda sit, mihi aliisque mirum videtur, cur non eadem severitate in antecessores Cæsares usi sint, quod non easdem terras ab Imperio alienatas repetierint.

Præterea *Adolphus*, si fata illius vitæ pepercissent, plura, quam hoc tempore per invidiam licebat, perficere potuisset. Neque tamen, ut supra diximus, jura in *Italiam* neglexit sed administratores in illis terris constituendo jura Imperii tuebatur. (g)

Et cum *vêtigalia Imperii*, quæ in manibus Principum versabantur, reposceret, id quidem aliorum odium excitabat, sed nemo illi id, suum vindicanti, in vitium avaritiæ jure potuit vertere. Igitur ridiculum esset, illum hanc ob causam Imperio movere.

Neque in ipso pacto, quod *Adolphus* cum *Eduardo* inierat, neque alibi indicium voluntatis est, ut *pars quadam pecuniæ ab Anglico acceptæ inter Principes Germaniæ dividi deberet*. Ergo, inquit *Gundlingius*, nihil contra decus & gloriam patriæ suæ commiserat, modo & illos in communionem accepti stipendii adsumisset, neque exclusis septemviris tantum auri pondus sibi soli servasset. (h)

Pari modo crimen est parvi momenti quod protulit *Cuspiarius*, scribens, illum fidem litteris & sigillis roboratam violasse. At hic auctor, qui sæpius iniqua judicia de *Adolpho* fecit, vel testimonio legatorum Bohemicorum nititur, quorum invidia non est obscura, ut supra monuimus, vel potius respicit fœdus, cum Rege Anglorum factum. Sed ex illis, quæ supra diximus, satis apparet, *Adolphum* a Papa Romano, ab ipso *Eduardo*, suisque hostibus internis, iterum iterumque esse impeditum, quo minus ex pacto agere potuerit, ipsumque Regem *Eduardum* qui res asperas Regis Romani viderat, sua sponte pacem cum Rege Francorum fecisse. (i)

Omitto *pecuniam improbam*, qua alios fefellisse dicitur, cum nullo negotio intelligi potest, admodum paucos nummos sub auspiciis *Adolphi* fuisse signatos.

Atque in dijudicanda *Thuringiæ emtione* hæc præcipienda videntur lectoribus, ne antiqua tempora ad nostra referant.

B b 2

Nul-

nationes sive Provincias Imperii non curaret, sed regnum mancum & infirmum per suam negligentiam redderetur.

(g) Litteræ *Avenini*, quas supra in Nota (f) proposuimus, in quibus hoc negligentiae crimen occurrit, valde suspectæ sunt. Errores in judicio Comitum Palatini in Cæsarem inde orti sunt, quos sequitur de *Ludewig* ad aur. Bullam T. p. 588. Quam opinionem in fabula judicii Palatini refutavit *Senkenberg*. Conf. *Geschichte des Römischen Königs Adolph* p. 147. not. 242.

(h) *Gundling* l. c. p. 18. *Schediasma* III. p. 69.

(i) *Schediasma* VIII. p. 157. seqq.

Nullam legem huic emtioni illis temporibus obstitisse, emtionem ex consilio Archiepiscopi Moguntini non ad bona domus Nassovicæ, sed Imperii augenda factam, & a multis Principibus Imperii, copias suas ad istam emtionem tuendam, mittentibus, fuisse comprobata, ipsum *Albertum Adolphi* successorem *Thuringiam* tanquam *bonum Imperii* sibi vindicare studuisse, nullumque scriptorem cœvum istam emtionem inter causas exauctorationis *Adolphi* retulisse, jam supra diximus. (k)

Ex his igitur facile colligitur, exauctorationis conatum fuisse nihili, petulantiam culpabilem, & quod in Regno Germaniæ caput est, destitutum consensu Electorum omnium.

Itaque multi scriptores veteres & recentiores, hoc facinus Principum quorundam Electorum, detestantur, non dubitantes illorum actionem *conspirationem* appellare. (l)

Neque ferendi sunt, qui procerum Germaniæ pessimum factum excusant, laudant, & cum Monachis ineptis, cum mancipiis ac adulatoribus Moguntini & Misnensium Marchionum temere errant. (m)

Eodem autem die, quo imminutionem majestatis *Adolphi Moguntie* tentaverunt, *Albertum Austriacum* eligebant Regem, Te Deum laudamus, solenniter cantantes. Qui vero cum extra Moguntiam haberet tabernacula, legati ad eum perrexerunt, & panno pretioso supra equum projecto Regem equum ascendere jusserunt, & Te Deum laudamus canentes novam electionem celebrarunt. (n)

Postquam igitur *Adolphus* in Palatinatu morans, ea, quæ contra ipsum *Moguntie* decreta erant cognoverat, his permotus, statuit ab *Alberto* regnum

(k) Schediasma IV. p. 82. seq.

(l) *Compilatio Chronol. apud Piff. rer. Germ. T. I. p. 746. Bæcler. in Notitia Imp. p. 117.* ita *Carpzovium* refutat: *Adolphi Nassovici* destitutio vage & crude afferri solet, absque ulla luce historiæ aut discussione juris. Et fuit sane illis temporibus magnus historiæ defectus. Sed quantum tamen licet ex historia noscere nullo modo probari potest, eum jure destitutum esse. *Trithemius* ad a. 1298. Fuerunt, qui scriberent, *Adolphum* Regem non jure, sed contra jus æquitatis a Regno depositum abrogatum & desertum, omnesque articulos præscriptos, in eum falso & malitiose compositos, cum Princeps esset optimus, Regno utilis. Unde ferunt, *Gerhardum Archiepiscopum Moguntinum* omnium malorum in eum existisse causam propter invidiam: quippe qui cæteros in æmulationem contra Dominum suum Regem multis aliis modis concitaverit. Clarius illam pro injusta declaravit. *Bæclerus* *Notitia Imp. L. IV. c. I. Scherz & Gundling* de Depositione *Adolphi* injusta. *Glassey* in *hist. Germ. polem. p. 366. E. ruy. in Synt. Jur. publ. dissert. XIII. §. 12.*

Geschichte des Römischen Königs Adolphs p. 82. seq.

(m) Mirum est, quod illum legitime imperio remotum esse, affirmat *Adlzreiterus* *Annal. Boic. p. I. L. XXV. c. XVI.*

regnum armis tueri, eamque ob rem, veniens cum forti exercitu *Oppenheimium*, castra metatus est. (o)

Iusta causa, fortis exercitus, favor civitatum Rhenensium, auxilia ab his & *Archiepiscopo Trevirensi* promissa, *Nassovio* addebant animum. (p)

Pari modo *Albertus* id, quod Electores pauci dederant, amittere noluit, & pro dignitate accepta omnia extrema experiri decrevit. Jam illius exercitui *Archiepiscopus Moguntinus* copias suas conjunxerat. Ipse vero *Albertus*, ut hostibus suis inprimis ducibus Bavariæ terrorem injiceret, post electionem suam *Alzejam* expugnavit & succendit. (q)

Quo facto *Albertus* & *Archiepiscopus Moguntinus* in fines *Wormatiæ* recesserunt. At Rex, fervens animo, auxilia non expectabat, verens, ne manus suas *Albertus* effugeret, eodem tetendit, quo *Austriacus*, suaque castra ita collocavit, ut copiae utriusque e regione consisterent. Quum vero *Albertus* & *Moguntinus* se hosti acerrimo non pares existimarent, haud ignari, auxilia Archiepiscopi Trevirensis & civitatum Rhenensium ad Regem contendere, se penuria commeatuum laborare, *Adolpho* a civitatibus fidelibus omnia necessaria suppeditari dolo, quam virtute hostem suum vincere malebant. *Moguntinus* igitur primo copias suas movebat, quem *Albertus* castris succensit, secutus, in *diocesi Wormatiensi* inter vicum *Gillenheim* & *Monasterium Rosenthal* loco idoneo, qui *Hasenpuch* vocatur, aciem suam posuerunt. (r)

Brevi fama divulgabatur, *Archiepiscopum* ab *Alberto* secessionem fecisse, ipsumque *Albertum* fuga salutem petere. Quibus falsis nunciis inductus *Adolphus*, bellandi cupiditate flagrans, hostes fugientes persequi statuit. Nimia festinatio impediēbat illum, quominus exercitum peditum secum duceret, & auxilia Trevirensia, quæ in itinere erant, expectaret.

B b 3

Ita-

- (n) *Chron. Colmar.* p. 58. Dominum Albertum Ducem Austria in Dominum & Regem eligimus Romanorum, & potestate nobis tradita, similiter confirmamus, & Te Deum laudamus, solenniter cantaverunt. Cumque Dux præfens non adesset, extra civitatem ad tabernacula perrexerunt, & ibi pannum pretiosum supra equum projecerunt, Regemque desuper sedere præceperunt & Te Deum laudamus, cum magna letitia cantaverunt. *Hist. Austr. H. Rebdorf. H. Stero Chron. Austr. ad a. 1298. Albert. Argent. p. 110.*
- (o) Auctor de veteribus *Landgraviis Thuringia* scribit: quod cum Rex *Adolphus* percepisset, animo consternatus, magis elegit mori, quam cum confusione vivere. Veniens igitur in *Oppenheim* cum exercitu forti, castra metatus est.
- (p) *Schediasm. VIII.* p. 167.
- (q) *Schediasma VIII.* l. c.
- (r) *Lehmanni Chron. Spir. L. V. c. 118. p. 649. Annal. Steronis, ad h. a. in quibus locus prælii Hasenpuch vocatur. Conf. Hagelgansii Nassauische Geschlechtsafel p. II. ubi imaginis loci prælii accuratissime expressa est.*

Itaque argutus a suis dicentibus, aciem equitum esse minus fortem, noluit assentire. (s)

Rex vero iter vix unius horæ confecerat, cum videret, se ab *Alberto*, in vicinia latente, ad pugnam parato & ab illius exercitu ex insidiis, exiliente, circumdatum & in prælium dolo esse perductum. (t)

Albertus audiens, *Adolphum* sine peditibus, sine auxiliis Trevirensibus accedere, copiis suis in tria agmina divisit mandata, ut *Regem Adolphum* circumvenirent, ipsum vivum aut mortuum traderent, equos confoderent, viros ducerent captivos. Ipse ne ab hostibus cognosceretur vestes, quibus uti consueverat, mutavit, & nonnullos insignibus suis ornari iussit. Acies ejus ita stetit, ut sol exercitui *Adolphi* esset adversus, Rex vero viribus suis fretus, de nulla vestium mutatione cogitabat. (u)

Exercitus *Adolphi* in duas acies erat ordinata, quarum primam *Rudolphus*, *Comes Palatinus* & *Otto Dux Bavarie* tuebantur, alteri Rex ipse *Adolphus* præfuit.

Jam ad teli jactum pervenerant, cum copię *Alberti* ferociter in exercitum *Adolphi* inveherentur, & confossis fere omnibus equis, prima Regis acies perturbata esset. Quod ubi noster conspexit, advolabat, ordinem perturbatum restitutus. Sed cum omnes hostes in unum concurrerent, ejusque equus vulneratus procumberet, Rex ex equo in terram defluens, hoc casu valde afflicus fuit. Qui etsi a suis relevaretur, tamen perturbatione & imbecillitate virium impediabatur, quominus capiti rursus accommodaret galeam. Jamque ipse nudum sui conspectum hostibus permittens, in medium hostium undique circumfusus, non ducis magis, quam militis munera

ex-

(s) Chron. Colmar p. 59. *Albertus Argent.* p. 110. *Volmarus* p. 536. *Jo. Vitodurani.* Chron. apud Eccard. T. I. p. 1764. Anon. *Leobienfis* p. 876. *Lehmanni Chron.* Spir. L. VII. c. III. p. 628. In der Schlacht bey Gelnheim hätte sich König Adolph überseit, viel zu herzhaft gewagt, und da er erwart, biß sein Volk allzusammen kommen, und alsdann die Schlacht angefangen, hätte männiglich dafür gehalten, daß König Albertus mit sein ganzen Heer wäre erlegt worden.

(t) Auctor de veteribus *Landgraviis Thuringie* scribit: cum transfret insidias, Dux cum suis omnibus vertens se, cogit præliare, & de insidiis exilientes circumvallabant exercitum Regis. *Albertus Argent.* p. 110. Rex autem fervens, metuensque Australem aufugere, non expectato peditum exercitu suo, eum equitibus suis celeriter subsequebatur. Argutus autem de suis, dicentibus, aciem equitum minus esse fortem, noluit assentire. Adspiciens autem exercitum Ducis, quem credidit, non mansurum, dixit: verum dixistis, nostrum exercitum nimis brevem esse. Ex his igitur apparet, dubium esse testimonium, Chron. Colmar. *Adolphum* in hac causa consiliarios infideles habuisse.

(u) Chron. Colmar p. 59. seq. *Steronis annales*, in quibus hæc jussa equorum vulneratio novum bellandi genus appellatur.

executus est. Ita Rex multos interfecit, inprimis illos, qui insignia Ducis Alberti ferebant. Tandem Adolphus & Albertus in prælio casu occurrerant, & in colloquio brevi Adolphus ita dixisse fertur: *non evadetis, sed hic imperium dimittetis*: Cui Albertus respondiisse dicitur: *hoc est in potestate Dei*.

Post hæc verba cum Rex sublato clamore in Ducem ferretur; ille ab ipsius Alberti ense prope oculum vulnere perfrictus, ex equo in terram fuit prostratus. Quo facto per Comites Sylvestres, & alios, quos læserat, per quendam armigerum, equo descendentem, acceptis nonnullis vulneribus interfecit, & unguis equorum conculcatus fuit. Error, ipsum Albertum ultimam manum adhibuisse Adolpho ex hoc ortus esse videtur, quod plures insignibus ducis erant induti. Itaque fortissimus Rex maxima vi certans, in prælio Gellheimensi d. II. Jul. festo Processi & Martiniani martyrum cecidit. (*)

Cæteri ex exercitu Adolphi audientes Regem decidisse, dissipantur metu, & qua cuique patebat ad fugam via, erumpunt. Neque tamen Duces Rudolphus & Otto, etsi equis transfossis, more peditum pugnant, & Otto tria vulnera gravia accepisset, prius pugna abscesserunt, quam fortissime pugnantes Adolphum occidisse, cognoverint. (x)

Neque igitur video, cur quidam suspicati sint, Rudolphum & Ottonem in hac pugna infideliter egisse, Ottonem corruptum ab Alberto, clam ab hoc fectisse; cum exitus prælii etiam his Ducibus molestus argumento hujusmodi perfidiam in illos non convenire. (y)

Ne-

(*) *Henr. Stero ad a. 1298. p. 578. Siffriid Presbyter. p. 701. Hermann Corner Chron. apud Eccard. T. II. p. 952. confer. cont. Martini Poloni. p. 1431. Martini Fuldensis Chron. apud Eccard T. I. p. 1719. Jo. Vitoduran. pag. 1764. Anonym. Leob. p. 876. Chron. Colmar. p. 60. occurrit primo regi ferens insignia Ducis, quem ferociter aggreditur, & ferociter interfecit; occurrit & alter Regi, qui per intersectionem regis magnam pecuniam deservisset. Hic gladio regem petens, in ipsum irruit vehementer. Cum hoc Rex diutius dimicat, tandem vero ipsum vulneravit, qui de equo decidit & equorum pedibus conculcatur. Post hæc regem plures pariter invaserunt, quibus omnibus, ut homo desperatus, viriliter se defendebat. *Albert. Argent. p. 110.* Rex ipsum Albertum aggrediens dixit: *non evadetis, sed hic imperium dimittetis.* Ille vero dicens, *hoc est in potestate Dei, Regem juxta oculum vulneravit gladio. Prostratus autem Rex in terram, per comites Sylvestres & alios, quos læserat, per quendam armigerum descendentem de equo levata regi galea, modico in collo vulnere est occisus Conf. Geschichte des Römischen Königs Adolphs p. 87. seq.**

(x) *Annales Steronis l. c.*

(y) *Paraleipomena ad Conradum Ursberg. hoc crimine accusant Ottonem. Mirum est, Aveninuum idem sentire.*

Numerum hominum in hoc proelio occisorum, non ita magnum esse, omnes consentiunt. Tria millia equorum & centum homines ceciderunt. Dux enim videns Regem esse interfectum, nullum amplius occidi sed capi precepit. (z)

Ochsensteinus Alberti & *Hsenburgicus Adolphi* vexillifer nimio aestu suffocati in armatura integri reperti dicuntur. (a)

Inter captivos magni nominis excellit *Rupertus*, *Adolphi* filius, qui tanta pietate profecutus est patrem, ut hunc in summo vitæ periculo versantem deserere nollet. Rebus enim desperatis, pater filium ad latus pugnantem monuit, ut fuga salutem peteret, clamans: *recede a me, quia inimici mei non me vivere patientur*. Cui vero filius imperterritus respondebat: *pater! quocumque perrexeris, ero tecum in mortem pariter, & ad vitam*. (b)

Qui deinde captus *Archiepiscopo Moguntino* traditus, & se quibusdam castellis redimere coactus est. (c)

Simul *Comes Catimelibocensis*, & multi alii Comites & nobiles in hoc atroci proelio capti sunt. (d)

Eandem calamitatem *Wilhelmus Abbas de St. Gallo*, de *Adolpho* optime meritis, accepisse dicitur. (e)

Ipsam *Adolphi* corpus, per ganeones spoliatum, vulneribus deformatum, omnino armis vestimentisque nudatum reperiebatur. (f) Quam quidem spiliationem *Albertus* prohibuisset, si ab ipso in duello, quod dicunt, fuisset occisus.

Cujus adspectu miserabili *Gerhardus Moguntinus*, occisi consanguineus, & machinator facti, valde commotus flevit, dicens: *cor validissimum periisse*. (g)

Neque tamen hic dolor *Gerhardi* fuit diuturnus, cum hunc diem, quo *Adolphus* occisus fuit in sua diœcesi quotannis festum habendum juberet. (h)

Quum

(z) *Annales Steronis* l. c. *Chron. Colmar* l. c. *Albertus Argent.* l. c. *Scherz.* p. 43.

(a) *Albert Argent.* l. c. *Paraleip. ad Ursberg.* Fugger p. 220.

(b) *Chron. Colmar.* l. c.

Auctor de veteribus Landgraviis Thuringia commisso proelio maxima caedeshominum facta est, inter quos Regis filius captivatur.

(c) *Aventinus*: ceteri captivi Alberto exhibentur, inter quos *Rupertus*, filius *Adolphi* fuit. Is *Moguntino*, consanguineo suo traditus in vincula conjicitur; castellis quibusdam se redimere coactus est.

(d) *Anonimus Leobiens.* p. 876. *Königshoven* cap. II. §. 186. p. 121. *Hist. Austr.* ad h. a.

(e) *Jo. Jac. Hœrtinger* *Selvetische Kirchen-Geschichte* P. II. p. 108.

(f) *Albert. Argent.* p. 110.

(g) *Albert. Argent.* l. c. *Paraleipomena* ad *Vrsberg* ræntem *Gerhardi* ita interpretantur: ah! quam sunt res deploratissimæ, quod probissimum cor quod in mundo est, hic jaceat. Magna igitur laus, quæ *Adolpho* ab hoste suo impertitur.

(h) *Anonim Leobiens.* p. 876.

Quum vero *Albertus* lacrymas *Gerhardi* vidisset & lugubrem lamentationem percepisset, animum illius commutabilem existimavit, timens, ut promissis suis in prima electione factis stare, noluit, illum prius a se discedere, quam sibi omnium Principum Electorum voluntatem in nova electione conciliasset. Illud conciliabulum Moguntiae factum ipse *Albertus* nihil fecit, & consensu omnium Principum Electorum eligi voluit. (i)

Neque id prætereundum est, quod plerique cædis *Adolphi* participes, morte violenta perierint. *Pars aquis obruti, pars praelio, nonnulli atrabile perciti, interiisse, alii ferro necati dicuntur.* (k)

Namque *Albertus Austriacus* postquam decem annos regno Germanico præferat, a proximo consanguineo, *Sueviae Duce*, quod hereditatem paternam ipsi restituere detrectabat, nefando parricidio peremptus est. Quo crimine cum alter parricida interrogatus esset, sui expurgandi causa dixit: *in eo nullum fuisse crimen commissum, qui occidendo Dominum suum Adolpum, Romanorum Regem reus lesæ majestatis fuisset.* (l)

Atque cæteri causam conjurationis cum *Alberto* communicantes, dignum moribus, factisque suis exitum vitæ invenerunt. *Comes de Heigerloch occisus*, quamvis ante hoc prælium, ut supra dixi, *Otto de Ochsenstein suffocatus, Episcopus Moguntinus subitanea morte in sella apoplexia tactus, Episcopus Argentinus a Lanio, ministro, ante Friburgum ense trajectus, Comes de Leiningen frenæ tude correptus, Albertus a Duce Joanne ense transfossus.* (m)

Id quod manifesto sane documento; cum nullum crimen, si vel maxime apud homines impune sit, justissimam omnipotentis Dei vindictam effugiat, tum illud imprimis oculis ejus abominabile videri, quod contra sacratum, adeoque majestatem ipsius referens caput, fuerit perpetratum. (n)

Re-

(i) *Albert. Argent. p. 110. seq. Hist. Austr. p. 485. Ottokar Zorned c. 686.*

(k) *Rönigshoven c. 2. p. 121. Avent. l. c.*

(l) *Albertus Argent. p. 114.*

(m) *Hæc refert Cuspianus l. c. de Adolpho. conf. Chron. Colon. p. 244. Naucler. Gener. 44. p. n. 240.*

De ultimis fati Gerhardi Moguntini confer. Joannis ad serarium T. I. p. 634. Trithemius l. c. addit fata Comitis Hohenloensis & Bipontini. conf. Richardi Dimthi, Normanni Constantinialis de rebus & factis memorabilibus p. 587. E conjuratis nullus placida morte obiit. Albertus e bello rediens ab Orthone Bavariae duce Imperatoris genero occisus est. Comes de Ochsenstein in conflictu vulneratus, periit. Moguntinus inventus sedens in sella subita morte peremptus. Bipontinus in flumine submersus est. Limingensis infania & Aurore correptus, Argentinensis a rustico prope Friburgum confossus, Austriacus a Joanne patruale occisus, sic procurante numine perduelles dignas suis factis poenas invenere.

(n) *Scherz. l. c. p. 46.*

Restat, ut de sepultura, qua *Adolphus* fuit affectus pauca adjungamus. Imperatores Francorum ex tempore *Conradi Salici Spira* humari solebant; Quia *Spira* in eorum territorio fuerat sita. Postea eodem loco ex Suevica domo *Cæsar Philippus* fuit sepultus. Atque deinde in eodem mausoleo *Spirensi* requievit *Rudolphus Habsburgensis*, ut hic locus *Cæsarum* sepulchro adsignatus existimaretur. At *Adolphus* propter viciniam loci, quo cecidit, in *Monasterio Rosenthal* sepultus est. (o)

Neque id nostro fuit turpitudini cum templum *Spirensis* nondum novo mandato his solemnibus esset addictum. Sunt quidem, qui putant, *Albertum Austriacum* impedivisse, quo minus *Adolphus*, tanquam abdicatus imperio *Spiram* deferretur, adeoque honore isto indignum fuisse existimatum. (p)

Sed *Albertus Adolpho* regium sepulchrum non invidet, satis habens, illum non esse in vivis, sicuti hoc anno *Adolphum Romanorum Regem* divæ memoriæ prædecessorem suum appellare non dubitavit. (q)

In isto igitur Cœnobio *Rosenthal* ejus sepulturæ commodissimo *Adolphus, Albertus Austriaco, Archiepiscopo Moguntino, Episcopo Argentiniensi*, aliisque comitantibus humatus est. In ipso autem loco, ubi Rex occisus est statua fuit erecta addita crucifixi imagine & inscriptione: Anno millesimo trecentis bis minus annis In Julio Mense Rex *Adolphus* cadit ense. (r)

Itaque in hoc Monasterio ossa *Adolpho* ad illud usque tempus quievit, quo *Henricus Lüzelburgicus* Imperio Germanico præesse cepit: hic enim reliquias *Adolpho* collectas, *Spiramque* translatas monumento Imperatorum intulit, eodemque die Regis *Alberti* corpus, quod *Königsfeldii*, ubi vita privabatur, repositum erat, in eodem *Cæsarum* mausoleo sepeliri iussit. (s)

Id

(o) *Hist. Austr.* ad a. 1298. p. 485. *Adolphus* vero in Cœnobio *Rosenthal* fuit sepultus. *Henr. Stero* ad h. a. p. 579. Rege sepulto ad Monasterium *Rosenthal*. Errat igitur *Albertus Argent.* qui Monasterium *Frauenfeld*, in quo sepultus sit Rex, appellavit. Neque vere judicat *Henricus Rebdorff*; qui corpus *Adolpho* *Spiram* translatum esse putat.

(p) *Aventinus* in annalibus scribit: Regio cultu funerari prohibebat, abdicatum caufabatur.

(q) *Gudenus Cod. dipl.* T. I. p. 902. *Brower* annal. *Trevir.* T. II. p. 175.

(r) *Hagelgans* l. c. Ipsum monumentum, quod tempestate cœli ita erat violatum, ut difficile esset lectu, sub auspiciis *Ludovici Comitis Generosissimi de Nassovia* a. 1611. ita renovatum est. conf. *Lehmannus Chron. Spir.* L. V. c. CXVIII. *Freher* origg. *Palat.* L. II. p. 62.

(s) *Albertus Argent.* p. 115. Delato autem corpore *Alberti* Regis navigio *Spiram*: Rex obviam pergens funeri ad *Rhenum*, *Reginam Vngariæ*, occisi filiam, sub brachiis in civitatem traduxit, sed omnino voluit corpus *Adolpho* Regis inibi similiter sepeliri. Quo allato uno die sic *Albertum & Adolphum Rom.* Reges occisos *Henricus* Rex *Spira* in sepulchris regis sepelivit, *Alberto* in uxoris olim *Friederici* Imperat. *Adolpho* vero in ejusdem filia sepulchris sepulto.

Id vero imprimis *Adolpho* nostro ducitur gloria; quod ipse *Henricus Rex* funeri *Adolphi* delato obviam venit, illudque multis comitantibus, honorifice accepit. (t)

Ita quorum animi in vita maxime dissociati erant, illorum corpora mors ita conjunxit, ut eorum sepulchra parum distarent. (u)

Adolpho Spira in hanc sententiam epitaphium statuerunt:

Anno Dom. MCCXCVIII. obiit *Adolphus de Nassau Romanorum Rex VI. Nonas Julii occisus*, anno regni sui VII. (x)

(t) *Gesta Balduini Archiepif. Trevir. in Reuberi Collect. rerum Germ. p. 966.* hæc referunt: Custodia tota adimplevit leges, mandata, operaque caritatis: Nam duos suos antecessores Reges *Adolphum* & *Albertum* de loco sepultura regum *Alemaniam* deputati multum remotæ terræ commendatos ecineravit, & relevavit, & per plures *Episcopos* & *Abbat*es, multosque *Clericos* tam *seculares*, quam *religiosos* cum *cereis* infinitis cultibusque sumtuosis, regum funeribus digne deputatis & deputandis *Spiram* adduci & transferri cultu regio procuravit, & ipse *Henricus* funeris *Adolphi*, eo quod essent de eadem linea consanguinitatis, cum multis *Ducibus*, *Baronibus*, *militibus*, aliisque *nobilibus*, & *ignobilibus*, caterva non modica, ad quam plurimam distantiam inceslu pedum gradiendo obviam & lamentando, quo modo ceciderunt incliti, *Christum Domini* acceptavit & eodem die anno *Domini* millesimo *tricesimo nono*, regni vero ejus primo *amborum* exequias in *Spirensi Ecclesia* devote celebrare per *Episcopum Spirens*em procuravit, & ut olim *Tobias*, eos juxta alios antecessores Reges solemniter collocavit.

(u) *Tribemius Chron. Hirs. T. II. p. 118.* Ambo itaque in uno sepulchro fuerunt tandem reconditi, qui nunquam, dum viverent fuerint amici. *conf. Gerh. a. Roo L. II. p. 71.* ita quibus inter se vivis convenire non poterat, alma tellus commune omnium sepulchrum materno sinu mortuos complexa est, & ita conjunxit, ut vix palmo inter se distent.

Neque tamen ego dixerim, illos in sepulchris vix palmo distare, cum ex testimonio *Alberti Argent.* cognoscitur, corpus *Adolphi* in sepulchro filia *Frideric*i *Agn*etis humatum esse.

(x) *Chron. Prasulum Spirens.* in *Eccard corp. hist. medii ævi T. II. p. 2269.* *Lützels Beschreibung der Kaiserlichen Begräbnis zu Speyer p. 99.* *Lehmanni Chron. Spir. p. 648.*

Cæterum: omnes, qui GYMNASIO nostro favent, etiam atque etiam rogamus, ut Solemnibus nostris frequentes intersint, studiaque nostra præsentia sua honorifica excitare dignentur, atque hora octava matutina ad examen solenne (minus solenne paucis ante diebus habetur,) convenient.

Ho.

HORA II. PROMERIDIANA

I. Ex Classe Prima B. A. A. declamabunt:

- 1) Fried. Christ. HANDEL, Wisbadensis, de *prerogativis institutionis iuvenutis publicae pra privatae*. Gallice.
- 2) Georg Frid. Rheinb. SELL, Klingelbaco - Hassus, de *arcanis naturae*. Lat.
- 3) Jo. Aug. Wilh. TOUBY, Kirberga-Nassovius, de *autumno frugifero*. Carm. Germ.
- 4) Frid. Henr. Christ. HAGEMANN, Wisbadensis, de *usu pluviae*. Germ.
- 5) Henr. Christoph CRAMER, Monasterio-Hassus, de *alienis malis gaudente*. Lat.
- 6) Jo. Nicol. WALDSCHMIDT, Mannhemio-Palatinus, de *usu ventorum*. Germ.
- 7) Maximilian. Christ. Fried. STIEHL, Strinza-Trinitatis-Nassov. de *astute, fragilitatis humana imagine*. Germ.

II. Deinde ex Classe Secunda Sermonem habebunt inter se de *parsimonia*:

- 1) Carol. Fridemann. GROOTE, Visingensis.
- 2) Andreas Conr. HACHENBERG, Flamersfeldio - Sayno - Hachenburgensis.
- 3) Jo. Daniel STUBER, Flonhemio - Palatinus.
- 4) Philipp. Gottfried. OHLY, Marienfelsa - Nassovius.
- 5) Wolfgang Christian. Carol. Ludovicus GOLDNER, Offenbaco - Jfenburgicus.
- 6) Carol. Ludovicus Daniel DRAUDT, Weifela inferiori - Solmsensis.
- 7) Georg. Philipp. METZ, Windeshemio - Palatinus.

III. Denique inter se different ex Classe Tertia & Quarta de *Euclide Megarensi*, singulis noctibus Athenas proficiscente, ut *Socratem audiret*.

- 1) Jo. Petr. EICHEL, Gunshemio - Nassov.
- 2) Jo. Mich. GERHART, Hugsweiera-Brisgaviensis.
- 3) Georg. Theod. Christoph. HANDEL, Wisbadensis.
- 4) Carol. Wilh. Rheinhard. HOFFMANN, Wisbadensis.
- 5) Carol. Jacob. TOUSSAINT, Hanovia - Hassus.
- 6) Franciscus Wilh. LANGGUTH, Trarbaco-Bipontinus.



No 1627. g


KO78


ULB Halle

3

006 305 962








B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

SCHEDIASMA NONUM
DE VITA
ADOLPHI NASSOVII
REGIS ROMANORVM

A TENTATA MAJESTATIS IMMINVTIONE
VSQVE AD MORTEM.



QVO
AD LVSTRATIONEM
GYMNASII IDSTEINENSIS

AVTYMNALEM

D. VI. SEPTEMBR. A. MDCCCLXXIX.

INSTITVENDAM,

FAVTORES ATQVE AMICOS
REI SCHOLASTICÆ

OMNI OBSERVANTIA INVITAT

JO. PETR. WAGNER,
PROFESSOR ET RECTOR GYMNASII.



WISBADII,
IMPRIMEBAT IO. SCHIRMER, AVL. ET REGIM. TYPOGRAPHVS.

